


## «INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

### *De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (49)*

#### *4.13.4. De problemate Tragoessiano crescente deque Ottilianis difficultibus internis (4)*

P. Notkerus itaque die 19<sup>o</sup> m. Iun. a. 1929<sup>o</sup> praedium Tragoessianum reliquit et hunc in modum officialiter responsalitatem praedii silvestris depositus. Primo ad locum Fernstein se contulit, ut genus quoddam feriarum ageret, et deinde ad Archiabbatiam Ottiliensem posteaque ad Uznachum revertit.<sup>1</sup>

Successor P.ris Notkeri ut Superior praedii silvestris Tragoessiani P. Fridolinus Zimmermann<sup>2</sup> redditus est.<sup>3</sup> Eodem tempore etiam sedes administrationis Tragoessianae Vindobonam translata est.<sup>4</sup> Fratribus Stirling persona



*P. Fridolinus Zimmermann.*

- 
- 1 *Cfr* ex. gr. epistula Notkeri Mannhart die 12 m. Iun. a. 1929 ad Adalricum Mühlebach directa (ASO, A.4.2); epistula Notkeri Mannhart die 28 m. Iun. a. 1929 ad Norbertum Weber data (ASO, A.4.2). - Chron. Ottil. m. Iul. 1929/Ian. a. 1930 breviter commemoratur P.rem Notkerum die 10<sup>o</sup> m. Iul. ex praedio Tragoessiano revertisse eumque inde ex fine mensis Augusti iterum Uznachi versari.
  - 2 P. Fridolinus Zimmermann natus die 12<sup>o</sup> m. Febr. a. 1900<sup>o</sup> in vico Schönau in archidioecesi Friburgensi sito vota sua protulit die 7<sup>o</sup> m. Oct. a. 1920<sup>o</sup> in Archiabbatia Ottiliensi et die 29<sup>o</sup> m. Mart. a. 1925<sup>o</sup> sacredotio auctus est. Die 8<sup>o</sup> m. Sept. a. 1931<sup>o</sup> in Coreanam Abbatiam Tokwon emissus est. Ibīdem die 26<sup>o</sup> m. Iun. a. 1946<sup>o</sup> vitā functus est. - *Cfr* Necrologium 2015, nr 0430, p. 49; ASO, A.1.1 (PA Zimmermann).
  - 3 *Cfr* protocollum conventū sodalium «Culturalis Societatis», 12.7.1929 (ASO, A.4.2); epistula Pauli Pelleter die 27 m. Aug. 1929 ad Stiriae regimen regionale propter leges mutatas directa (ASO, A.4.2); Chron. Ottil. m. Iul. 1929/m. Ian. a. 1930. - P.rem Fridolinum Zimmermann successorem suum in loco Tragoessiano futurum esse P. Notkerus Mannhart compluries in commercio suo epistulari commemoravit. *Cfr* ex.gr. epistulae Notkeri Mannart die 12 m. Iun. a. 1929 ad Iosephum Dimitz directa (ASO, A.4.2); die 18 m. Iun. a. 1929 ad Ferdinandum Stanislaum Pawlikowski data (ASO, A.4.2); die 12 m. Iun. a. 1929 ad Adalricum Mühlebach missa (ASO, A.4.2); die 20 m. Iul. a. 1929 ad Placidum Vogel directa (ASO, A.4.2).
  - 4 *Cfr* protocollum conventū sodalium «Culturalis Societatis», 12.7.1929 (ASO, A.4.2); epistula Pauli Pelleter die 27 m. Aug. 1929 ad Stiriae regimen regionale propter leges mutatas directa (ASO, A.4.2). - Quod sedes administrationis Tragoessianae Vindobonam

P.ris Fridolini illo tempore certe erat grata, cum ex eius parte verisimiliter contradictiones non exspectarent atque suspicarentur eum res Tragoessianas non multum curaturum esse. Tunc enim P. Fridolinus Vindobonae commorbabatur, ut in dissertataionem suam incumberet eamque ad finem duceret.<sup>5</sup> Cum



autem P. Fridolinus satis raro in praedio Tragoessiano appareret et itaque neuqe res in ipso loco neque Fratres ibi cooperantes curare posset, praeterea P. Iustus Gämperli<sup>6</sup> illuc missus est, qui imprimis munere spirituali pro Fratribus fungeretur.<sup>7</sup> Tamen, cum P. Iustus in praedio silvestri semper adesset, evenit, ut idem aliis quoque rebus ad praedium spectantibus occupatus esset. Cum autem nulla facultas decernendi ei esset, eius labores nullo modo facilitati sunt. In conamen vero «salvationis» contractu lignorum caedendorum perpetrandae interea magis incumbebat.<sup>8</sup> Mense Augusto a. 1929<sup>i</sup> Vindo-

*P. Iustus Gämperli.*

---

translata est, certe Eugenio von Stirling instigante factum est, qui iam illo temporis momento magnas partes hac in re egit.

- 5 Iam in initio anni 1924<sup>i</sup> Frcl Fridolinus Zimmermann (tunc temporis nondum sacerdos erat) ad studia ethnologiae destinatus erat. Propositorum erat, ut aliquando in athenaeo philosophico Otteliensi ethnologiam doceret atque hunc in modum locum P.ris Meinulfi Küsters susciperet, qui inde ad alios labores in regione missionariā efficiendos vocatus erat (*cfr* Chron. Ottil. m. Ian./Mart. a. 1924). Quale thema dissertationi P.ris Fridolini fuerit, proh dolor non iam reperiri potest. Tamen promotionem suam ad effectum duxit et die 12<sup>o</sup> m. Aug. a. 1931<sup>i</sup> in Archiabbatiam revertit (*cfr* Chron. Ottil. m. Aug./Dec. a. 1931). Sed in athenaeo philosophico P. Fridolinus deinde non docuit, quia iam in initio mensis Septembris a. 1931<sup>i</sup> in Coream emissus est.
- 6 P. Iustus Gämperli natus die 4<sup>o</sup> m. Oct. a. 1902<sup>o</sup> in vico Jonschwil in dioecesi Sangallensi sito die 12<sup>o</sup> m. Oct. a. 1925<sup>o</sup> vota sua in Archiabbatia Otteliensi protulit et die 10<sup>o</sup> m. Mart. a. 1929<sup>o</sup> sacerdotio est auctus. Die 21<sup>o</sup> m. Apr. a. 1930<sup>o</sup> in Africam Meridionalem emissus est, ubi die 14<sup>o</sup> m. Iul. a. 1986<sup>o</sup> vitā functus est. - *Cfr* Necrologium 2015, nr 1094, p. 106; ASO, A.1.1 (PA Gämperli).
- 7 *Cfr* Chron. Ottil. m. Jul./Jan. 1930.
- 8 De contractu lignorum caedendorum *cfr* quoque brevis commemoratio Optati PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß 1929/30 (1945/46), p. 2 (ASO, A.4.2). - Ad hanc rem etiam Cyril SCHÄFER (2005), pp. 154 sq.; breviter contractum commemorat praeterea Hartmut MADL



*Photographēma, in cuius parte posteriore inscriptum est  
«Domus nostra in vico Tragöß anno 1928».*

bonae consultationes finales futurae erant. P. Aloisius Seibert, qui ad contractum praeparandum Vindobonae versatus erat, die 31° m. Iul. a. 1929° ad Archiabbatiam revertit, ut illo die in Conventū de condicionibus atque de fundamentis contractū futuri referret.<sup>9</sup> Hoc faciendō imprimis monstrare conatus est tantummodo contractū lignorum caedendorum sic dicto fieri posse, ut Archiabbatiae Ottiliensis instantes obligationes pecuniariae urgētissimae solverentur, postquam venditio desiderata ad effectum adduci non potuit. Mercatorias societas lignarias Glesinger et Schwarz, qui hunc contractum iugere vellent, insuper ad pecuniam creditam praebendam paratas esse, quae ex duabus partibus constaret, nempe ex commercialibus pecuniis mutuo acceptis<sup>10</sup> unius et semis milionis scellinorum atque ex pecunia credita duarum milionum scellinorum, quae modo hypothecario in praedium Tra- goessianum inscribenda esset. Adiunxit autem P. Aloisius in proximos quin-

---

(1999), p. 247.

9 Cfr Acta Capituli, 31.7.1929 (ASO, A.3.3.5). - Thema autem et antemeridiano tempore et postmeridiano tempore in summa per quattuor horas tractabatur.

10 Id est pecuniae per breve temporis spatium mutuo acceptae litteris cambialibus\* adhibitis.

\* litterae cambiales: *Wechsel*. - Cfr Antonius BARTAL: Glossarium mediae et infimae Latinitatis Hungariae. Hildesheim 1970, p. 92; Christian HELFER: Lexicon Auxiliare. Saraviponti<sup>3</sup> 1991, p. 610.

que annos lignorum caedendorum copiam 60-70.000 metrum cubicorum iam esse permissam.<sup>11</sup> Praeterea indicavit et in consultationibus ad contractum spectantibus et in administratione oeconomicā praedii Tragoessiani baroni von Stirling esse «*vim directoriam*», quem ut «*virum magnarum virium operandi, magnae virtutis negotialis, magnae potentiae praeditum*» descripsit.

Ut ex protocollo illius sessionis apparet, Conventus putavit P. rem Aloisium explicationibus suis potestates amplas ad contractum conficiendum accipere voluisse. Tamen Conventus tales recusavit et alterā ex parte postulavit, ut condiciones contractūs, quas P. Aloisius tantummodo generatim protulerat, denuo singillatim exhiberentur, praeterea ut illae commerciales pecuniae mutuo acceptae in hypothecam mutandae essent et Archiabatiae non essent imponendae ullaē novae obligationes pecuniariae.<sup>12</sup> Confidentia Conventūs in facultates pecuniarias P. ris Aloisii illo temporis momento non iam ita magna fuisse videtur.<sup>13</sup> In ipsā sessione nonnulli sodales Conventūs, praesertim P. Notkerus Mannhart, cui erant experientiae et cum praedio Tragoessiano et cum Eugenio von Stirling, rei obstiterant et dubitationes quōque de barone protulerant.<sup>14</sup>

Itaque P. Aloisius atque Archiabbas Norbertus sine talibus potestatibus Conventūs Vindobonam vecti sunt, ut consultationes ad finem ducerent. Tamen iam paucis diebus post telephonemate ex Vindobonā factō P. Aloisius nuntiavit fieri non posse, ut ante contractum iunctum - uti Conventus voluerat - condiciones contractūs Conventui denuo proponerentur.<sup>15</sup> Eā de causā P. Aloisius rogavit - sic in protocollo sessionis Conventūs legitur -, ut ex sodali-

---

11 Ut ex eventibus sequentibus apparuit talia illō temporis momentō factis non congruebant.

12 Hoc postulatum videtur esse paululum contradictorium, cum in conventūs sessione etiam de futurā pecuniā creditā sermo fuerit. Inde scilicet novas obligationes pecuniarias exorturas esse manifestum esse debuisse, quia pecunia credita aliquando reddenda est.

13 Postea Archiabbas Norbertus erga Abbatem Primatem questus est P. ris Aloisii modum progrediendi in re Tragoessianā semper criticae subiectum fuisse, etiamsi alia consilia positiva non essent proposita, et omnia, quae P. Aloisius fecisset, percipi suspiciose atque eundem infestari. - *Cfr* epistula Norberti Weber die 12 m. Dec. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578); epistula Norberti Weber die 14 m. Dec. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578); epistula Norberti Weber die 2 m. Ian. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578).

14 *Cfr* Notker MANNHART: Betrifft Tragöß / St. Ottilien 1929/30 (26.8.1967), p. 1 (ASO, A.4.2).

15 *Cfr* Acta Capituli, 2.8.1929 (ASA, A.3.3.5).

bus Conventūs duo Patres eligerentur, qui deinde Vindobonae ut reprezentantes Conventūs consultationes participarent, ita ut contra eorum votum contractus rite non posset iniri.<sup>16</sup> Epistulā quādam quadamtenus lamentatoriā, qua agebatur de fiduciā amissā, Archiabbas Norbertus rem aliter exhibuit, cum scriberet se inter consultationes Vindobonenses propter necessarias possibilitates agendi «*auctoritatem facultate instructam*» postulavisse expectans ipsi atque P.ri Aloisio certas potestates traditum iri.<sup>17</sup> Interrogatur igitur, utrum P. Aloisius rem ita protulerit, ut non bene intellegeretur, an Conventus eum consulto non intellexerit sive rogatum ita interpretatus sit, ut opinioni suae conveniret.

Sequela huius telephonematis erat in eo, quod Conventus revera duos reprezentantes elēgit, nempe Priorem P.rem Martinum Malter atque P.rem Notkerum Mannhart,<sup>18</sup> qui potestate praediti deinde Vindobonam se contulerunt. Hac potestate continebatur licentia, quā iidem contractum lignorum caedorum nomine Conventūs iungere possent,<sup>19</sup> sed solum sub hac condicione, quā Archiabbatiae ex contractū nulla onera pecuniaria exorirentur.<sup>20</sup>

Vindobonae autem praesentia reprezentantium Conventūs gaudenter non est percepta. Imprimis Eugenius von Stirling verismiliter stomachatus est se denuo cum P.re Notkero Mannhart sibi incommodo agendum habere, quem bono effectū e rebus Tragoessianis se amovisse putaverat. Tales vero sensū

---

16 Secundum Notkerum MANNHART: Betrifft Tragöß / St. Ottilien 1929/30 (26.8.1967), p. 2 (ASO, A.4.2) ipse Archiabbas telephonaverat.

17 *Cfr* epistula Norberti Weber die 12 m. Dec. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). - Hanc explicationem sequitur Cyrill SCHÄFER (2005), p. 155.

18 *Cfr* Acta Capituli, 2.8.1929 (ASO, A.3.3.5). - Ut hac electione monstratur, videtur confidentia Conventūs in P.rem Notkerum tamen satis magna fuisse, quamquam opprobia conta ipsum propter negotia Tragoessiana male tractata proferebantur, quae imprimis Eugenius von Stirling, sed etiam P. Aloisius atque Archiabbas Norbertus exhibuerunt.

19 Archiabbas apud Abbatem Primatem questus est se huic modo procedendi atque eius formae stricte contradicere debuisse, quia fuisset illegalis. - *Cfr* epistula Norberti Weber die 12 m. Dec. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578).

20 *Cfr* testimonium potestatis, 2.8.1929 (ASO, A.4.2). Hoc testimonium subscripserant Subprior P. Rupertus Klingseis (Priore absente) atque sodales Senioratū P. Narcissus Heffele, P. Maximilianus Freist, P. Mauritius Schrauf, P. Chrodegangus Hartmann. - Hoc testimonium potestatis etiam in Actis Capituli, 2.8.1929 (ASO, A.3.3.5) commemoratur.

in consultationibus sequentibus animadvertebantur.<sup>21</sup>

Inde ex die 5<sup>o</sup> m. Aug. a. 1929<sup>o</sup> igitur ultimae consultationes ad contractum pertinentes Vindobonae instituebantur, cum illā occasione atmosphaera propter praesentiam repraesentantium Conventūs esset satis irritata et interdum scaenae satis malae essent exortae. Archiabbas Norbertus iam factum ipsum, quod repraesentantes Conventūs erant missi neque sibi atque P.rī Aloisio facultates exoptatae erant traditae, ut offensionem signumque differentiae percepit, imprimis vero stomachatus est repraesentantes Conventūs - ut putavit - colloquia cum aliis quōque hominibus instituisse eum non adhibentes neque eum certiorem facientes.<sup>22</sup>

Repraesentantes autem Conventūs in consultationibus impulsūs quosdam dare conati sunt, ut contractus, qui eis quasi iam confectus atque tantummodo ad assentendum appositus erat, fundamenta Archiabbatiae Ottiliensi securiora acciperet. Sic exempli gratiā proposuerunt, ut ex aliquo Austriaco monasterio Benedictino monachum peritum accident consultorem, cui experientia in rebus saltuariis erat.<sup>23</sup> Illa cogitatio bona tamen non accipiebatur.

P.rī Notkero his in disputationibus imprimis thema displicuit, quo agebatur de quaestione mercium praemialium<sup>24</sup> Eugenio von Stirling dandarum, sive

---

21 Notker MANNHART: Betrifft Tragöß / St. Ottilien 1929/30 (26.8.1967), p. 2 (ASO, A.4.2) refert Eugenium von Stirling facultates scientiamque P.rīs Notkeri detrectare conatum esse, cum denuo opprobrium protulisset P.rem Notkerum administratione suā praedium silvestre Tragoessianum ad interitum adduxisse.

22 Archiabbas Norbertus totam condicionem, quā quōque status ipsius animi monstratur, erga Abbatem Primatem commentatus est hunc in modum: «*Illi duo mandatarii putaverunt, cum essent repraesentantes Conventūs, vias omnino proprias ingredi sibi licere neque necessarium esse, ut aliquo modo me certiorem facerent vel de gressibus, quos facere vellent, saltem consularent. Tales mores non solum appellare debeo non monasticos neque iustos, sed etiam offendentes, cum hunc in modum non solum clare demonstrarent mihi confidiri non posse, cum rationes instituendas, quae emolumento monasterii nostri essent, impedire possem, si interrogarer.*» (Epistula Norberti Weber die 12 m. Dec. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). - Textus originaliter Theodiscus. - Haec verba tamen non omnino factis congruisse videntur, ut ex explicationibus Notkeri MANNHART: Betrifft Tragöß / St. Ottilien 1929/30 (26.8.1967), p. 3 (ASO, A.4.2) appareat.

23 Cfr Notker MANNHART: Betrifft Tragöß / St. Ottilien 1929/30 (26.8.1967), p. 3 (ASO, A.4.2).

24 merces praemiales: *Provision.* - Cfr Antonius BARTAL (1970), p. 514; Christian HELFER (1991), p. 435

eius modum progrediendi hac in re.<sup>25</sup> Eundem enim erga P.rem Notkerum aliosque exposuisse se tantummodo ex «amore ecclesiae atque Ordinis Benedictini» in rem Tragoessianam incumbere velle et se ab Archiabbatia Otteliensi nihil postulaturum esse. Hanc sententiam P. Aloisius etiam die 31° m. Iul. a. 1929° ante Conventum protulerat. Tunc autem Ottiliani Vindobonae congregati colloquio inter se habito ab iurisconsulto suo D.re Weiß compere- runt Eugenio von Stirling ab officinis lignariis merces praemiales datum iri.<sup>26</sup> Apparuit autem Archiabbatem de hac re nihil scivisse, sed P. Aloisius, qui ad fratres Stiling defendendos confessus est hanc rem unā cum ipso constitutam fuisse. P.ri Notkero tamen non agebatur de mercibus praemialibus ipsis, sed de agendi modo illiberali Eugenii von Stirling. Praeterea iure meritoque adnotavit Ottilianis merces praemiales ab officinis lignariis solvendas atque earum summam non nullius momenti esse posse, cum officinae itaque pretia, quibus ligna emerent, sub hōc aspectū adaptarent.

Culmen huius disceptationis die 16° m. Aug. evēnit in sessione, cui etiam fratres Stirling aderant. Tunc Eugenius von Stirling P.rem Notkerum propter eius perceptionem mercium praemialium aggressus est,<sup>27</sup> cum īdem inconvenienter atque vehementer praesertim in P.rem Nokterum invehernetur atque Ottilianos opprimere conaretur. Disceptatio illuc pervēnit, ut Archiabbas Norbertus P.rem Notkerum plura dicere vetuit et eum statim ad Archiab- batiam remittere voluit. Scitū digna hōc in conexū est P.ris Notkeri adnotatio Archiabbatem talia «*videlicet ex timore Eugenii*» fecisse.<sup>28</sup> Haec existimatio versimiliter non omnino falsa erat.

P.rem Notkerum excludendum esse tamen Eugenius von Stirling noluit, sed postulavit, ut P. Notkerus contractum mercium praemialium unā cum reliquis

---

25 Fuse rettulit de hōc aspectū consultationum Notkerus Mannhart in epistulā suā die 2 m. Oct. a. 1930 ad Optatum Pfäfflin datā (ASO, A.4.2). Ibidem etiam adnotavit se has expli- cationes iam die 16° m. Aug. a. 1929° descriptsisse. De hac quaestione mercium praemialium nonnullae quoque adnotationes inveniuntur apud Notkerum MANNHART: Betrifft Tragöß / St. Ottlien 1929/30 (26.8.1967), p. 3 (ASO, A.4.2).

26 Hōc in colloquiō praeter D.rem Weiß aderant Archiabbas Norbertus Weber, P. Aloisius Seibert, P. Fridolinus Zimmermann, Prior P. Martinus Malter atque P. Notkerus Mannhart. Dr Weiß hanc informationem de mercibus praemialibus acceperat ab iurisconsulto officinae Glesinger.

27 Cum Ottilianorum disputationes antecedentes revera arcanae fuissent, aliquis eorum argumenta illius colloquii fratribus Striling tradiderat, verisimiliter Archiabbas Norbertus vel P. Aloisius.

28 Epistula Notkeri Mannhart die 2 m. Oct. a. 1930 ad Optatum Pfäfflin directa (ASO, A.4.2).

subscriberet. Nam nisi merces suas praemiales atque postulata sua constituerent - sic erant minae ipsius - se cum officinis Glesinger et Schwarz collocuturum esse, ita ut totus contractus lignorum caedendorum in irritum caderet.<sup>29</sup> Hoc scilicet erat «argumentum occidendi», quod dicitur. P. Notkerus igitur decrevit se non solum tacendi mandatum Archiabbatis sui obtemperaturum, sed etiam contractum mercium praemialium subscripturum esse, cum bene sciret non iam fieri posse, ut alia officina ad tale negotium allici posset neque contractū condiciones similiter aptas acquiri possent. Noluit itaque, etiamsi de Eugenii von Stirling modo se gerendi stomachabatur, id efficere, ut totum negotium in irritum caderet.

Contractus mercium praemialium constabat conventione inter «Culturalem Societatem» et Eugenium von Stirling, quā eidem affirmabatur ipsum contractū cum officinis lignariis inito ex omnibus acceptis quinque centesimas praemii acceptum esse.<sup>30</sup> Omnes praesentes die 16<sup>o</sup> m. Aug. a. 1929<sup>o</sup> hanc conventionem subscripserunt. Mirum tamen est - ut in actū subscribendi praeparando apparuit - textui originali huius conventionis diem 23<sup>um</sup> m. Iul. a. 1929<sup>o</sup> inscriptum fuisse et eundem iam P. rem Aloisium Seibert atque P. rem Fridolinum Zimmermann nominibus suis signavisse.<sup>31</sup> His disceptationibus, quae non sunt nullius momenti, generalis se gerendi modus Eugenii von Stirling manifestari mihi videtur, sed etiam clariora fiebant ea, quae attinebant ad dependentiam iam crescentem et Archiabbatis et P. ris Aloisii Seibert a fratribus Stirling, quibus contradicere non iam sunt ausi.<sup>32</sup>

His diuturnis consultationibus finitis, quae omnibus ex partibus affectuum

---

29 *Cfr* epistula Notkeri Mannhart die 2 m. Oct. a. 1930 ad Optatum Pfäfflin directa (ASO, A.4.2).

30 Secundum hunc contractum Eugenio von Stirling postulata pecuniaria aliorum proxenatarum curanda erant.

31 Iam in adnotationibus suis die 16<sup>o</sup> m. Aug. a. 1929<sup>o</sup> exaratis P. Notkerus interrogavit, num contractus talibus condicionibus vigentibus iuridice impugnari posset (*cfr* epistula die 2 m. Oct. a. 1930 ad Optatum Pfäfflin directa (ASO, A.4.2)). Postea ad hanc quaestionem iterum revertit et deliberavit, num contractus mercium praemialium propter «laesione bonorum morum» rescindi posset. Denique ei in mentem venit quaestio, num subscriptiones ipsius atque P. ris Martini Malter formaliter impugnari possent, cum conventio inita esset inter «Culturalem Societatem» atque Eugenium von Stirling, tamen se ipsos non fuisse sodales «Culturalis Societatis». (*Cfr* epistula Notkeri Mannhart die 8 m. Oct. a. 1930 ad Optatum Pfäfflin directa (ASO, A.4.2)).

32 Illas disceptationes Vindobonae factas etiam breviter commemorat Cyrill SCHÄFER (2005), p. 155.

erant plenae, contractus lignorum caedendorum die 18<sup>o</sup> m. Aug. a. 1929<sup>o</sup> iunctus est.<sup>33</sup> Ut socii contractū unā ex parte Norbertus Weber et praepositus «Culturalis Societatis» et Archabbas Ottiliensis, alterā ex parte possessores officinarum lignariarum Sigismundus Glesinger et Adolfus Schwarz nominabantur.<sup>34</sup> Illae vero officinae, quae illo temporis momento adhuc singulae operabantur, contractū inito in societatem anonymam iungendae erant.<sup>35</sup>

Sed condiciones contractū paulo diligentius inspiciamus. Generalis causa huius contractū primo erat venditio lignorum, quae in praedio silvestri Tragoessiano producenbantur, ad of-



*Sigismundus Glesinger.*

33 Inter documenta in archivio Ottiliensi asservata invenītur etiam copia alicuius propositi negotialis, quod «Unio Centralis Silvarum» (*Union Centrale des Bois*) «Culturali Societati» exhibuerat (ASO, A.4.2), inter consultationes igitur cum fratribus Stirling atque officinis lignariis habitas et unā septimanā ante contractum lignorum caedendorum subscriptum. Ibīdem quoque praeter alia credita pecunia hypothecaria trium semis milionum scellinorum praebetur (septem centesimis usurarum) (§ I a), praeterea pecunia credita computi currentis ad necessarias collocationes pecuniarias faciendas (novem centesimis usurarum) (§ I b). Eodem modo pecunia credita danda erat coniuncta cum licentia lignorum caedendorum praebitā, id est provisa erant 60.000 metra cubica quotannis minimum in decem annos (§ I c). Porro hōc propositō continebatur contractum negotii mandati, quo in decem annos illi Unioni sive societati cuidam ei adiunctae ius totum praecipuumque traderetur, quo omnia ex silvā serratināque provenienda praediū silvestris Tragoessiani venderet.

Unde hoc porpositum negotiale ex improviso venerit, non manifestatur. In summā autem idem magis improsperum fuisse videtur quam contractus lignorum caedendorum, qui denique iunctus est. Nequaquam suspicandum est fratres Stirling vel officinae Glesinger et Schwarz hōc propositum promulgavisse, cum fuissest contra ipsorum desideria propria.

34 Cfr Gedächtnisprotokoll zum Abstockungsvertrag (18.8.1929), p. 1 (ASO, A.4.2; Firmenarchiv (FA) Stürm).

Ut testes contractum subscripserunt P. Martinus Malter, P. Notkerus Mannhart, P. Fridolinus Zimmermann, P. Aloisius Seibert, Fridericus [Fritz] Stirling, Maximilianus [Max] Glesinger, Norbertus [Norbert] Schwarz, Maximilianus [Max] Höhn, Cárolus [Karl] Jelinek, Eduardus [Eduard] Knoll (p. 32).

Scitū dignum est nomen Eugenii von Stirling inter testes subscriptentes non apparere.

35 Cfr Abstockungsvertrag (18.8.1929), p. 1; p. 31, § XXX (ASO, A.4.2; FA Stürm).

Sed etiam constitutum est illas officinas, etiamsi aliquā ex causā societas anonyma non fieret, tamen condicionibus contractū obligatas esse.

ficinas commemoratas, cum eisdem solis contractū durante ius lignorum caedendorum esset. Constitutum est, ut omnia quōque ligna, quae anno 1928<sup>o</sup> caesa sunt atque nondum vendita, et omnia ligna anno 1929<sup>o</sup> caesa vel ad caedendum instantia ab officinis emerentur.<sup>36</sup> Magni momenti tamen erat inde ab anno 1930<sup>o</sup> atque per totum temporis spatium contractūs omnia ligna, quibus octoginta anni erant sive quae inter tempus contractūs octoginta anni habitura erant, emptum iri,<sup>37</sup> cum «Culturalis Societas» in summā copiam minimam 600.000 metrorum cubicorum materiae praestare deberet.<sup>38</sup> Ad pretium ligni solvendum quoad genus lignorum pretia differentia indicabantur, cum pro ipso ligno ad usum apto, quod dicitur, scilicet pretium maius provisum esset.<sup>39</sup> Quia indicatae summae ad metrum cubicum spectantes erant pretia fixa atque mutationes mercatūs non respiciebantur, inde pro «Culturali Societate» non omnimodo emolumentum exoriebatur.

Provisum erat, ut contractus lignorum caedendorum ex anno 1930<sup>o</sup> usque ad annum 1944<sup>um</sup>, id est quindecim annos valeret, sed automatice prolongaretur, si usque ad illud temporis momentum copia lignorum constituta - ex causis, quae non apud emptores erant - nondum caesa fuerat, et prolongatio quidem tam diu duratura erat, usque dum volumen contractūs expletum erat.<sup>40</sup> Magistratum licentiam acquirere, quae ad ligna caedenda necessaria erat, ut officium venditricis, id est «Culturalis Societatis», praescriptum est, similiter copiam indicare, quae illā licentiā contineretur.<sup>41</sup> Praeterea ad curam obliga-

---

36 Pro anno 1928<sup>o</sup> haec erant 12.000 m<sup>3</sup>, pro anno 1929<sup>o</sup> circiter 45.000 m<sup>3</sup>.

37 Ut regiones saltuariae, in quibus ligna caederentur, indicabantur Jassing, Laming, Unterort, Oberort, Unterer, mittlerer und oberer Rötzgarten, Vordernberg.

38 *Cfr* Abstockungsvertrag (18.8.1929), p. 2, § 1 a)-c) (ASO, A.4.2; FA Stürm). - Indicata 600.000 m<sup>3</sup> spectabant ad totos quindecim annos contractūs partis, quā agebatur de lignis caedendis, id est quotannis minimum 45.000 m<sup>3</sup> praestabantur.

39 *Cfr* Abstockungsvertrag (18.8.1929), p. 6, § IV (ASO, A.4.2; FA Stürm). - De ligno ad usum apto 13,50 sc., de ligno fodinis apto 7,50 sc. et de ligno comburendo 1,50 sc. quoad unum metrum cubicum indicabantur. - Copia lignorum annorum 1928<sup>i</sup> atque 1929<sup>i</sup> summatim solverentur (*cfr* p. 6, § IV, p. 15, § IX), id est provisi erant 120.000 sc. pro 120.000 m<sup>3</sup> anni 1928<sup>i</sup>, id quod 10 scellinis pro metro cubico aequiperatur, et 500.000 sc. pro 45.000 m<sup>3</sup> anni 1929<sup>i</sup>, quod circiter 11 scellinis pro metro cubico aequiperatur.

40 *Cfr* Abstockungsvertrag (18.8.1929), p. 7, § V (ASO, A.4.2; FA Stürm).

41 *Cfr* Abstockungsvertrag (18.8.1929), pp. 7 sqq., § VI (ASO, A.4.2; FA Stürm). - Prima licentia ad 400 / 450 hectarias silvae prorsus caesae spectans usque ad diem 10<sup>o</sup> m. Dec. a. 1929<sup>o</sup>, sequens licentia ad 300 hectarias silvae prorsus caesae spectans usque ad Kal. m. Febr. a. 1930<sup>o</sup> acquirenda erat. Deinde tales licentiae quotannis si tardissime usque ad diem 15<sup>um</sup> m. Febr. praebendae erant. Accessit, ut usque ad Kal. Febr. a. 1930<sup>o</sup> programma

tionemque «Culturalis Societatis» petinebat silvas novis culturis restituere, item respicere omnes rationes ad cultum silvestrem tutelamque saltuarium spectantes.<sup>42</sup>

Tamen in contractū aliud punctum centrale inveniebatur, quod verisimiliter Achriabbi Norberto atque P.ri Aloisio imprimis erat magni momenti et quod - ut suspicandum est - erat causa, cur iidem hanc conventionem tam exoptandam attractivamque esse putavissent atque eandem omnimodo inire voluissent. Agebatur de pecunia credita iam commemorata 3.500.000 scellinorum, quam lignorum negotiatores «Culturali Societati» comparare voluerunt. Scitū autem dignae nunc sunt condiciones huius partis contractū.<sup>43</sup> Nam pro totā summā commemoratā usurae septem centesimarum solvendae erant et ipsa summa per duas partes tradenda erat, et haec quidem postquam primae lignorum caedendorum licentiae 700 / 750 hectarearum allatae sunt. Prima pecuniae pars 1.500.000 scellinorum Kal. Ian. a. 1930<sup>o</sup> primā licentia praebitā solveretur, et ea quidem litteris cambialibus trium mensium datis. Secunda pars pecuniae creditae 2.000.000 scellinorum Kal. Mart. a. 1930<sup>o</sup> solveretur, postquam altera licentia lignorum caedendorum praebita est atque in libro fundorum hypotheca huius debiti primo loco inscripta est. Alia condicio pecuniae praebendae in eo constituit, quod testimonium scriptum postulabatur, quo affirmabatur Archiabbi Ottiliensem sine limite ad sponzionem obligationesque praebendas esse aptam et Archiabbi soli sine

---

oeconomicum a magistratibus probatum erat exhibendum, quo primis decem annis licentia 1.000-1.500 hectariarum silvae prorsus caedenda praestaretur. In hōc programmate oeconomico constituendo emptori quoque ius decretorium erat.

42 Cfr Abstockungsvertrag (18.8.1929), p. 9, § VIII; p. 25, § XVIII (ASO, A.4.2; FA Stürm).  
- Non nullius momenti aliae obligationes «Culturalis Societatis» erant, quibus ei plures sumptūs exoriebantur. Ad has praeter alias pertinebat ex.gr. «Culturali Societati» usque ad tempus, quo ligna emptori tradebantur, assecurationem aptam curandam esse, item assecurationem incendiī pro serrarīnā in vico Oberort sitā, quae tamen generaliter emptori ad usum praebebatur (cfr p. 22, § XIV). Praeterea omnia ligna, quae ad aedificationem omnis generis necessaria erant, gratuito exhibenda erant (cfr p. 18, § XI), quod vero significat haec ligna copiae materiae vendendae non iam adnumerata fuisse. Porro ad labores necessaria aedificia atque areae pecuniā non solevendā ad usum praebebantur (cfr p. 19, § XII; p. 23, § XV). Denique emptori ius attributum est, quo in omnem apparatum ad condiciones adaptandas pecuniam collocare ei licuit, quae res mutatae tamen in possessione emptoris remanserunt et quas «Culturalis Societas» contractū finito emendo sibi acquirere potuit (cfr p. 24, § XVI). Haec solum breviter de condicionibus maioris momenti, quae in conexū praediī ab emptore tractandi apparent.

43 Cfr Abstockungsvertrag (18.8.1929), pp. 10 sqq., § VII (ASO, A.4.2; FA Stürm).

limitatione declarationes iuridice obtringentes dare atque obligationes suscipere licere.<sup>44</sup> Hac clausulā tunc Archiabbatia atque «Culturalis Societas» revera eandem rem significantes percepiebantur, cum Archiabbatia Otteliensis etiam officialiter de obligationibus respondere deberet.<sup>45</sup>

Scitū dignum praeterea est, quō modō pecuniae mutuo acceptae erant reddendae. Nam praeter summas usurarum inter annos 1930<sup>um</sup> et 1934<sup>um</sup> quotannis 300.000 scellinorum et inter annos 1935<sup>um</sup> et 1939<sup>um</sup> quotannis 400.000 scellinorum ad pecunias reddendas providebantur. Secundum contractum ergo pecunia credita intra decem annos reddenda erat. Sed in ipso contractū pecunia credita reddenda cum pretio emptionis coniungebatur, quod ab officinis lignariis pro lignis caesis solvendum erat.<sup>46</sup> Constituebatur enim emptores inde a Kal. Oct. a. 1930<sup>o</sup> pecuniam, quae pro ligno empto eis solvenda erat, quotannis duodecim similibus partibus soluturos esse argentariis, quae pecuniam creditam praebuerant, et quidem tam diu, usque dum totum debitum omnino redditum erat.<sup>47</sup> Sed hoc significat «Culturalem Societatem» pecuniam pro lignis venditis solvendam ad usum omnino non accipere et, si accepta ex venditione lignorum non sufficiebant, ut annuae dissolvendi partes 300.000 sive 400.000 scellinorum redderentur, «Culturalem Societatem» reliquam summam aliquo modo erogare debuisse.

---

44 Tamen statuebatur quoque illo casū, quo pecunia credita comparari non posset, quia vendor condicione datas explere non valuerat, reliquum contractum lignorum caedendorum nihilominus validum manere. Haec clausula eā de causā est alicuius momenti, quia ex.gr. licentiā lignorum caedendorum non acquisitā nulla pecunia credita praebetur, sed Ottilianis tamen obligatio reliqui contractū explendi esset.

45 Hunc in modum haec condicio etiam in Conventū sessione diei 2<sup>o</sup> m. Sept. a. 1929<sup>o</sup> prolata est (ASO, A.3.3.5).

46 Cfr Abstockungsvertrag (18.8.1929), p. 17, § IX (ASO, A.4.2; FA Stürm).

47 Cum nunc parvum «ludum» cogitandi sive computandi facimus, eveniunt haec: ut pecuniae creditae partes annuae 300.000 scellinorum pro annis 1930<sup>o</sup> ad 1934<sup>um</sup> redderetur, necessarium fuisset, ut ex venditione lignorum mensatim 25.000 scellinorum acciperentur, pro pecuniae creditae partes annorum 1935<sup>i</sup> ad 1939<sup>um</sup> mensatim 33.333 scellinorum (his in summis usurae nondum sunt computatae). Alterā ex parte difficile est accepta ex lignis caesis exspectanda praecalculare, quia éadem de variis gradibus qualitatis ligni atque itaque de compositione lignorum dependebant. Certe non exspectandum erat totam copiam lignorum caesorum ad summum gradum qualitatis (13,50 sc. quoad metrum cubicum) pertinuisse, cum insuper officinae lignariae in qualitate existimandā aliquid dicendum habuissent.

Sed praeter alias<sup>48</sup> exstabant plures contractū condiciones, quibus «Culturalis Societas» sive Archiabbatia obstringebantur. Sic constituebatur «Culturali Societati» praedium silvestre socio contractū non assentiente vendere non licere, antequam tota ligni copia contractū provisa non erat praebita.<sup>49</sup> Si conamen talis venditionis contra condiciones contractū fieret, pecuniae creditae pars nondum soluta statim tota reddenda erat.<sup>50</sup>

Haec hactenus de ipsis condicionibus contractū. Conemur autem brevem existimationem. Unā ex parte notabile est «Culturali Societati» sive Archiabbatiae singulis condicionibus magnam partem potestatis agendi atque facultatem decernendi demptam esse; Ottilianos officinis lignariis multa gratuita praebere coactos fuisse, sed a contractū sociis ea, quae iidem impenderant, in fine temporis contractū emere debuisse. Non autem licet obliviousi silvam novis culturis restituere fuisse officium et itaque onus Ottilianorum.<sup>51</sup> Praecogitatum erat pecuniā creditā contractū assumendā debita iam exstantia solutum iri, sed éadem nihilominus iterum reddenda erat. Hoc significat pecuniam creditam - sicuti iam saepius antea - assumptam esse, ut aliae huiusmodi solverentur. Revera onus debitorum hunc in modum maiorabatur. Generaliter autem hac in re modo pecuniae reddendae, qui cum pretio lignorum emendorum quōque coniunctus erat, totum negotium pro Ottilianis non solum «ludus summae nullius», qui dicitur, immo nova

---

48 Scitū dignum ex.gr. mihi videtur punctum, quo uterque socius expressis verbis decedit de possibilitate, quā contractum propter «laesionem enormē» sic dictam impugnat (*cfr* Abstockungsvertrag (18.8.1929), p. 28, § XII (ASO, A.4.2; FA Stürm). Talis quōque clausula in emptionis contractū anni 1927<sup>i</sup> iam invenītur (*cfr* Kaufvertrag (26.8.1927), § VI (ASO, A.4.2)). De problemate «laesionis enormis» *vide supra*.

Praeterea constituebatur omnes conventiones, quae extra ipsum contractum fierent, non esse validas (*cfr* Abstockungsvertrag (18.8.1929), p. 129, § XXIV (ASO, A.4.2; FA Stürm). Commemorandum insuper est factum, quod merces praemiales ab emptoribus Eugenio von Stirling solvendae erant in contractum receptae (*cfr* p. 29, § XIII), quō in conexū dicebatur huius rei condiciones certae, etiam genus atque modus solvendi non pertinere ad venditorem.

49 *Cfr* Abstockungsvertrag (18.8.1929), pp. 26 sq., § XX (ASO, A.4.2; FA Stürm).

50 Alterā ex parte «Culturali Societati» erat ius contractū solvendi, si una ex officinis lignariis sive societas ab ipsis condenda decoqueret.

51 Notker MANNHART: Betrifft Tragöß / St. Ottilien 1929/30 (26.8.1967), p. 4 (ASO, A.4.2) existimavit illis conventionibus ad ligna caedenda factis officinas lignarias conspicuo redditas esse tutas securasque, Ottilianos vero imbecillos.

muscipula debitorum fuisse videtur.<sup>52</sup>

Contractū definitive iuncto Archiabbas Norbertus - tamen demum uno mense post<sup>53</sup> - Abbatī Primi eventum nuntiavit nonnulla puncta conventionis

---

- 52 Exstat documentum scitū dignum formā epistulae ad Norbertum Weber directae, cuius auctor ex copiā proh dolor non iam cognosci potest (epistula die 3 m. Aug. a. 1929 missa (ASO, A.4.2)). Ibīdem monachus conventionalis sub fundamento indiciorum, quae P. Aloisius in Conventū sessione diei 31º m. Iul. a. 1929º exhibuerat, sequelas contractū futuri disputavit. Cum haec epistula die 3º m. Aug. data esset, auctor deliberationes suas iam protulerat, antequam contractus definitive iunctus erat, et has quidem argumento melius esse «*satis mature clare videre*» et «*servare, quae servari possunt*». Hac locutione iam monstratur auctorem cogitavisse satis sceptice de condicionibus contractū, quae usque tunc erant notae. Una ex dubitationibus ipsius - quam punctum saliens totius contractū esse putavit - in eo erat, quod homines extranei ius dicendi dirigendique in praedio Tragoessiano habituri essent atque Ottilianis ipsis sub hac condicione non iam ulla custodia de praedio futura esset, qua possibles interversiones detergerentur vel prohiberentur. Sed eiusdem momenti auctori erat quaestio quōque de pecuniā comparandā. Computavit enim singillatim accepta atque data exspectanda primorum duorum spatiorum contractū lignorum caedendorum et ad conclusionem pervenit Archiabbatiae Ottiliensi illis quindecim annis peractis adhuc onus debitorum magnum esse. Propter amplam copiam lignorum caesorum propositam deinde tantummodo metra cubica maxime minuta exstare, quae caedi possent, quā de causā propter accepta minuta etiam debita nova solvi non possent. Conclusio deliberationum erat haec: «*Contractū peracto denuo condicio desperanda exstaret pecuniam ad praedium sustentandum necessariam non adesse. Quid tunc contractus prodest!*» (Textus originaliter Theodiscus). - Meā quidem sententia haec quaestio omnino iuste posita erat. Rogavit itaque auctor Archiabbatem, ut officinas lignarias illuc perduceret, ut loco computatae summae satis magnae, quae lignis caendis solvenda erat, melius minore summā pecuniariā ad totum praedium emendum exhiberent, «*ut ex hac miseriā liberaremur*». Etiam hōc erat revera bonum propositum. Tamen īdem in votis marcatorum lignariorum esse non potuit, qui spatio relative brevi emolumenta lignorum caedendorum habere voluerunt, semet ipsis vero detrimentis onerare noluerunt, quae possessione totius praedii coniuncta erant.

- 53 Iam die 23 m. Aug. a. 1929 testimonum Romam erat missum, quo de contracto iuncto atque de obligationibus pecuniariis inde exoriundis referebatur (ASO, A.4.2). Ibīdem leguntur haec:

«*Testificor*

*in contractu, die 18 mensis Augusti anni 1929 a Rymo D. Norberto Weber, O.S.B. Atchiabate nostro cum viris Judaeis Viennae inito, inveniri sequentes obligationes, per cautionem solidariam etiam congregacioni nostrae impositae:*

1. *Obligatio de restituendis tribus millionibus et media, hypothecario modo inscribenda (3.500.000 Sh.)*

2. *Obligatio altera de restituendis duabus millionibus Shilling, id est in moneta Austriae, hypothecario modo, ut aiunt ad cautelam inscribenda (2.000.000 Sh.)*

3. *Obligatio subscribendi (giriren) litteras obligatorias (Wechsel) de una millione et media Schilling (1.500.000 Sh.)*

enumerans atque affrimans, quam opportuna éadem Archiabatiae essent.<sup>54</sup> In summā autem Archiabbas animo valde levato enthusiastice scripsit atque existimavit hōc contractū initō non solum obligationes debitaque adhuc existantia solvi posse, sed etiam fieri posse, ut nova pecunia credita intra quindecim annos redderetur.<sup>55</sup> Insuper magna accepta annua exspectavit, quae ex contractū exorirentur.<sup>56</sup> Archiabbas Norbertus ergo opinatus est hunc contractum Ottilianis maxime opportunum fuisse et illō modō, uti factum est,

---

*Quae junctae efficiunt Summam  
septem millionum Schilling in moneta Austriaca.*

*7.000.000 Sh.*

*In monasterio Sanctae Ottiliae in Bavaria*

*Die 23. Augusti 1929*

*In fidem.»*

Cur hōc in documentū pecuniae mutuo datae, pro quibus sponsio suscipienda fuerit, revera dupliciter exhibeat, ita ut summa tota 7.000.000 scellinorum exoriatur, non satis clarum est.

54 Cfr epistula Norberti Weber die 13 m. Sept. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). - Cum puncta principalia contractū enumeraret, Archiabbas tamen res non semper exacte exhibuit. Sic ex.gr. scripsit sub numero primo suspicionem esse in summa agi de lignorum copiā unius milionis metrorum cubicorum. Hōc indicium in contractū non invenītur et insuper est numerus maxime exaggeratus. Sub numero secundo dixit officinas lignarias ligna iam caesa iisdem pretiis suscepturas esse, quae de emptione futurā provisa erant. Sed secundum contractum ligna anni 1928<sup>i</sup> et anni 1929<sup>i</sup> pretio generali emebantur. Sub numero quarto Norbertus Weber adnotavit officinis quotannis 60.000 m<sup>3</sup> caedenda esse (id quod in contractū sic non legitur), eis tamen pro 60.000 m<sup>3</sup> solvendum esse, etiamsi tam magnam copiam non caederent. Haec sententia tamen aliquatenus modificanda est. Nam secundum contractum officinae copiam lignorum concessam solvere quidem voluerunt, etiamsi tantam copiam caedere modo non valuerunt, sed haec in rationem proximi spatii referebatur, quo tunc respondens maior numerus lignorum caederetur, ita ut materia non iterum solveretur (cfr Abstockungsvertrag (18.8.1929), p. 8, § VI (ASO, A.4.2; FA Sturm)). Sub numero sexto legitur ea, quae officinae instructioni praedii addiderant, Ottilianis remansura esse. Hōc quidem verum est, sed solum si Ottiliani éadem emere parati erant.

55 Hōc locō Norbertus Weber temporis spatiū pecuniae creditae decem annorum commiscuit cum temporis spatio contractū lignorum caedendorum, qui quindecim annos valuit.

56 Archiabbas hic summam 900.000 scellinorum attulit. Quomodo ad talem summam per venerit, tamen non satis appetet. Parvis acceptis ex agricultura, ex venatione etc. non respectis revera 60.000 m<sup>3</sup> lignorum quotannis caesorum pro 13,50 sc. vendenda fuissent. Talem opinionem cum realitate convenire omnino non est verisimile.

iungendum fuisse, ut Archiabbatia a pernicie servaretur.<sup>57</sup> Fratres autem Stirling, qui hanc rem instigaverant aqute promoverant, ut servatores Archiabbatiae Ottiliensis celebravit.<sup>58</sup> Conventus vero nuntium de contractū iunctō atque de obligationibus pecuniariis cautius excepit,<sup>59</sup> sed facta interea constituta magnā ex parte solum recipere valuit.

Quamquam Archiabbas enthusiasmo correptus erat et quamquam novus contractus initus erat, condiciones praedii silvestris tamen manserunt difficiles. Hoc illo temporis momento praeter alia imprimis cohaerebat cum licentia lignorum caedendorum a magistratibus praebendā, quae Ottilianis curanda erat et quā non acceptā contractū pars, quae «Culturali Societati» erat maxi-mi momenti, ad effectum non adducebatur. Tunc autem conamine, quo haec licentia acquireretur, satis celeriter problemata exorta sunt, qua iam medio mense Septembri manifestabantur. Colloquio quodam consiliarius saltuarius Schröder, qui erat cooperatur ministerii atque regiminis regionalis, primas dubitationes exhibuerat atque annuntiaverat licentiam a magistratibus stricte secundum legem silvarum servandarum tractatum iri atque programma usūs oeconomici stricte inspectum iri.<sup>60</sup> Insuper difficillimum fore existimavit, si areae latiores silvis prorsus privarentur, tales areas sic exortas novis culturis securis denuo restituere. Solliciti magistratūs etiam erant symbolis in actis diurnis divulgatis, quibus in contractum incumbebatur, qui inter officinas

---

57 Etiam Cyril SCHÄFER (2005), p. 156 contractum Archiabbatiae satis opportunum fuisse diuidat, ad quam servandam aliquid attribuere potuisset. Tamen existimatione suā solum indiciis Archiabbatis atque brevibus adnotationibus in Actis Capituli exhibitis niti potest, cum ipsum textum contractū ad manum non habuisse videatur.

58 Cfr ex.gr. epistula Norberti Weber die 8 m. Nov. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578); epistula Norberti Weber die 19 m. Nov. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578), ubi praeter alia leguntur haec: «*Contractus lignorum caedendorum erat initium felix. Eodem non initio Archiabbatia Ottiliensis, cum obligationes suas explere non potuisset, nunc iam pridem periisset. Hanc salutem tantummodo, praeter Deum, fratribus Stirling debemus.*» (Textus originaliter Theodiscus). - Ab hac perceptione idem proh dolor non iam ammoveri potuit.

59 Cfr Acta Capituli, 20.8.1929; 2.9.1929 (ASO, A.3.3.5). Etiam gravia opprobria die 2º m. Sept. a. 1929º contra P.rem Notkerum Mannhart propter eius administrationem Tragoessianam prolata non disputabantur, cum ipse in illā sessione non adasset atque de hac re audiri non posset.

60 Cfr epistula Fridolini Zimmermann die 14 m. Sept. a. 1929 ad Eugenium von Stirling directa (ASO, A.4.2). Consiliarius saltuarius Schröder praeterea relationem scriptam de statu rerum quoad contractum lignorum caedendorum atque de copia lignorum caeden-dorum provisa postulavit. Hanc relationem P. Fridolinus hac epistulā rogavit.

lignarias atue «Culturalem Societatem» iunctus erat, et qui ibidem «*maxima transactio huius generis*» appellabatur.<sup>61</sup>

«Culturalis Societas» igitur in petitione suā ad magistratūs directā rogavit, ut quotannis 60.000 metrorum cubicorum ad caedendum concederentur. Sed hōc magnō numerō lignorum caedendorum provisō iam in antecessum clarum esse debuit licentiam praeberi non exspectandum esse,<sup>62</sup> cum hōc modō detrimenta sequentia essent praevidenda.<sup>63</sup> Totus autem valor praedii silvestris praeterea temporis spatio contractū transacto tantopere minutus fuisse, ut decenniis insquentibus eodem non iam multum fieri potuisset.<sup>64</sup>

Nunc autem quaestio ponenda est, cur «Culturalis Societas» tam magnam copiam lignorum caedendorum omnino petiverit. Nam in contractū ut totum volumen 600.000 metrorum cubicorum indicabantur, et cum ille contractus ad quindecim annos spectaret, 40.000 metra cubica quotannis computanda fuissent. Etiam hic numerus est satis magnus, sed fortasse approbari potuisset. Suspicio quaedam erat hōc programma lignorum caedendorum fuisse

---

61 Cfr ex.gr. acta diurna, c.t. «Neues Wiener Journal», 27.8.1929, p. 3: «Gigantea transactio in mercatū lignorum» («Riesentransaktion auf dem Holzmarkt»). - Nonnulla indicia numerorum hac in symbolā tamen sunt mira. Sic exempli gratiā legitur officinas lignarias 900.000 m<sup>3</sup> lignorum ad caedendum emisse. Sed in contractū de 600.000 metris cubicis sermo est. Indicium autem in symbolā exhibitum solum tunc conveniret, si per quindecim annos 60.000 metra cubica caederentur. Praeterea scribitur pretium emptionis constare 13.000.000 scellinorum. Hōc pretium solum eveniret, si pro 900.000 m<sup>3</sup> ciricter 14 scellini quoad unumquodque metrum cubicum solverentur.

Scitū dignum tamen est adnotatio negotium appellari emptoribus peropportunum, cum officinae lignariae ciricter 13 scellinos quoad unumquodque metrum cubicum solverent, sed metrum cubicum in mercatū 28 scellinis constaret.

62 In epistulā die 8 m. Nov. a. 1929 ad Fridolinum Zimmermann directā (ASO, A.4.2) Tragoessianus magister saltuarius superior Ansgarius [Oskar] Jeglitsch explicuit virum quandam peritum ipsi dixisse annuam caedendi summam 40-45.000 metrorum cubicorum a magistratibus fortasse acquiri posse, sed summam 60.000 metrorum cubicorum se existimare nullo modo fieri posse.

63 Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß (1945/46), p. 3 (ASO, A.4.2) hōc in conexū periculum commemoravit, quo maximis in areis labinae lapillorum limorumve exorirentur, quibus arboribus deficientibus territorium non iam satis stabile est, et praeterea de difficultate sermonem facit, quā tales areae denuo reficerentur.

64 Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß (1945/46), p. 3 (ASO, A.4.2) talem modum progrediendi scelus in silvam commissum appellavit. Hunc in modum videlicet etiam homines periti atque magistratūs condicionem existimaverunt.

ideam Eugenii von Stirling.<sup>65</sup> Idem maiore copia lignorum scilicet etiam summam mercium suarum praemialium auxisset, sed tale consilium subsuendum quoque fuisset sub puncto, quo dicebatur conventiones extra contractum factas non esse validas. Explicari posset illa petitio, quā 60.000 metrorum cubicorum quotannis caederentur, deliberatione, quā responsales «Culturalis Societatis» varia temporis spatia lignorum caedendorum unā ex parte atque pecuniae creditae reddenda in contractū provisae alterā ex parte fortasse denuo commiscuerunt.<sup>66</sup> Effectus huiusmodi petitionis tamen praevideri potuit: diurnae dissensiones inter «Culturalem Societatem» atque magistratū factae sunt et volumen lignorum caedendorum petitum denique concessum non est.<sup>67</sup>

Contractū iunctō in administratione Tragoessiani praedii silvestris mutationes factae sunt. Primo constitutum est, ut Eugenius von Stirling rectionem praedii Tragoessiani susciperet.<sup>68</sup> Munus, quo ex parte Archiabbatiae atque «Culturalis Societatis» praedium silvestre dirigeret, sessione conventū sodalium die 10<sup>o</sup> m. Nov. a. 1929<sup>o</sup> habitā P.rī Aloisio Seibert traditum est atque insimul idem vicepraesidens Societatis redditus est. Eādem sessione Eugenius von Stirling praesidens honorarius atque Fridericus von Stirling sodalis honora-


---

65 Hanc opinionem protulit Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß (1945/46), p. 3 (ASO, A.4.2). - Tamen non apparet, unde Optatus Pfäfflin illos numeros deprompsit, quos hic indicavit (60.000 metrorum cubicorum quotannis in decem ad duodecim annos). Videlicet ipsum textum contractū non legit vel tempore relationis suaē eius singula puncta non iam bene recordatus est.

66 Fieri etiam potest, ut illae perceptiones etiam e proposito negotiali commemorato Unionis Centralis provenerint (*cfr* adn. 33). Sed tunc fundamentum quoque haberent in permutatione quadam.

67 Hoc explicuit etiam Optatus PFÄFFLIN: Kulturverein Tragöß (1945/46), p. 3 (ASO, A.4.2). Alia sequela huius rei erat in eo, quod pecunia credita in contractū provisa non est data, quia éadem coniuncta erat cum licentia lignorum caedendorum.

68 *Cfr* Acta Capituli, 2.9.1929 (ASO, A.3.3.5). - Huic rei Capitulum quoque assensum est. - Etiam consiliarium saltuarium Iosephum Dimitz ut consultorem dimissum esse expectandum erat, cum Eugenius von Stirling ab initio pessime de eo locutus esset atque opprobia inconvenientia contra eum - similiter ac contra P.rem Notkerum Mannhart - protulisset. Proh dolor Archiabbas Norbertus haec quoque ei credidit. *Cfr* ex.gr. epistula Norberti Weber die 14 m. Dec. a. 1929 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578), ubi asseveravit Iosephum Dimitz apud magistratū saltuarios Stiriae esse «personam ingratissimam», quā de causā idem ab Archiabbiatā Ottiliensi dimittendus fuisset.



P. Maximilianus Freist.

rius nominati sunt.<sup>69</sup> P.ri Aloisio in munere celerarii Otteliensis fungendo P. Maximilianus Freist<sup>70</sup> successit.<sup>71</sup>

Facto, quo Eugenius von Stirling ex illo tempore praedium silvestre officialiter direxit, ad curas pecuniarias atque ad multos labores accessit aliud problema, nempe baronis modus se gerendi in praedio Tragoessiano. Videlicet putavit se esse dominum absolutum praedii et Fratres, cooperatores saltuarios incolasque vici Tragoessiani modo indecoro offensorioque ut subditos iura non habentes tractavit. Prior P. Martinus Malter, cui nonnulli nuntii a Fratribus allati sunt, hunc modum aliquando regimen violentum appellavit.<sup>72</sup> Sic omnia in loco Tragoessiano secundum voluntatem atque iussa baronis facienda erant. Sed inter commorationes suas breves videtur saepe mandata protulisse, quae in peragendo difficultates praebebant. Tunc Fratribus, cum nemo adessent, quem interrogare potuerunt, res ipsis aliquo modo solvenda erat.<sup>73</sup> Tamen talia proximā commoratione Eugenium von Stirling ad iram provocaverunt, ita ut Fratres coram omnibus vehementer increparet.<sup>74</sup>

69 Cfr protocollum conventū sodalium «Culturalis Societatis», 10.11.1929 (ASO, A.4.2); Chron. Ottil. Iul. 1929/Ian. 1930. - Ut causa huius mutationis in protocollo indicabatur P.rem Fridolinum Zimmermann respectū studiorum suorum rogavisse, ut e munere dimitteretur.

70 P. Maximilianus Freist natus in loco Stargard in dioecesi Berolinensi sito die 9<sup>o</sup> m. Maii a. 1909<sup>o</sup> vota sua protulit in Abbatīa Otteliensi et die 22<sup>o</sup> m. Iul. a. 1912<sup>o</sup> sacerdotio auctus est. Idem vitā functus est Monaci die 20<sup>o</sup> m. Apr. a. 1936<sup>o</sup>. - Cfr Necrologium 2015, nr 0200, p. 28; ASO, A.1.1 (PA Freist).

71 Cfr Chron. Ottil. Iul. 1929 / Ian. 1930.

72 Cfr epistula Martini Malter die 16 m. Nov. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2).

73 Cfr ex.gr. epistula Iusti Gämperli die 30 m. Oct. a. 1929 ad Fridolinum Zimmermann directa (ASO, A.4.2); epistula Martini Malter die 16 m. Nov. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2). - Etiam P. Alois Seibert satis raro in praedio silvestri versabatur.

74 Sententiae dicuntur prolatae esse sicut haec: «*Si Fratres hoc facere nolunt, omnes Fratres eiciam et homines extraneos e Vindobona acquirendos curabo.*» (Epistula Iusti Gämperli die 30 m. Oct. a. 1929 ad Fridolinum Zimmermann directa (ASO, A.4.2)). - Sententia

Imprimis talis modus se gerendi erga Fratres P.rem Iustum Gämperli excitat, id quod in medio relinquere noluit atque eā de causā ad Archiabatem se convertere in animo habuit.<sup>75</sup> Haec querela tamen erat vana, cum responsum accepit vota baronis esse explenda.

Eugenius von Stirling praeterea sumptibus «Culturalis Societatis» nonnullis in aedificiis praedii silvetris mutationes faciendas curavit, quae praesertim commoditati ipsius servirent. Ante omnia domum graphei saltuarii ut «domum suam» institui voluit. Fr. Leo Jungblut,<sup>76</sup> qui erat faber tignarius, longiore relatione familiari ad P.rem Notkerum directā nonnulla de condicionibus hac in re vigentibus narraverat.<sup>77</sup> Etiam hac in re ita erat, ut Eugenius von Stirling magna postulata de domo instruendā exhibuit nullo modo pecuniam erogandam respiciens.<sup>78</sup> Insuper saepe aliquid postulavit et laboribus confectis sententiam suam de genere atque loco operum mutavit, ita ut omnia denuo facienda essent. Talis modus scilicet nihil attulit ad sump-



Fr. Leo Jungblut.

---


originaliter Theodsica. - *Cfr* etiam epistula Leonis Jungblut die 19 m. Nov. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2).

75 Sic Iustus Gämperli die 30 m. Oct. a. 1929 ad Fridolinum Zimmermann scripsit (ASO, A.4.2): «*Ne nonnullos quidem menses hunc in modum pergere paratus sum. [...] Ad Rev.mum Patrem scribam eumque interrogabo, quam lata auctoritas facultatum generallium extenta sit, num domino Stirling sit ius, quo Fratres mediā in viā ut homines nequam tractat. Me obligatum sentio id efficere, ut condiciones clariores reddantur. Si domino Stirling hoc ius concedet, Fratres ab omni occurrū cum domino Stirling cohibebo. Tunc cum Rev.mo Patre et cum P.re Aloisio rixet.*» - Textus originaliter Theodiscus.

76 Fr. Leo Jungblut natus die 12° m. Maii a. 1886° in vico Unterpreißenberg in dioecesi Augustana sito vota sua protulit die 4° m. Oct. a. 1909° in Abbatia Ottiliensi. Die 21° m. Apr. a. 1930° in regionem missionarium Africæ Orientalis emissus est, ubi die 31° m. Mart. a. 1946° in loco Lituhi vitā functus est. - *Cfr* Necrologium 2015, nr 0425, p. 49; ASO, A.1.1 (PA Jungblut).

77 *Cfr* epistula Leonis Jungblut die 19 m. Nov. a. 1929 ad Notkerum Mannhart missa (ASO, A.4.2).

78 In conexū postulatorum suorum secundum F.rem Leonem baro dicitur aliquando protulisse sumptuum suā omnino non interesse, etiamsi totum praedium Tragoessianum interiret.



*Fr. Adalradus Harrer et Fr. Alto Gaus  
in aedificio Tragoessiano fornacem instruentes.*

tūs pecuniarios minuendos.<sup>79</sup> Fr. Leo ex experienciis suis atque condicionibus oberservatis plura exempla huiusmodi actionum praebuit.<sup>80</sup> His omnibus rebus manifestatur, quid de Eugenii von Stirling curā videlicet simulatā praedii Tragoessiani cogitandum sit.

Problema autem generale hōc in conexū erat et P.rem Aloisium et Archiabbatem Norbertum evidenter Eugenio von Stirling aliquatenus subiectos obnoxiosque redditos esse et eidem resistere non esse ausos vel etiam noluis-

---

79 Videlicet eā de causā problemata cum P.re Fridolino Zimmermann exorta sunt, qui - ut bene intellegitur - propter generales condiciones pecuniarias quam minimam pecuniam pro praedio silvestri erogare voluit. His problematis etiam explicatur P.rem Fridolinum ut administratorem Tragoessianum a P.re Aloisio Seibert substitutum esse, et manifestatur explicationem, quā P. Fridolinus iterum magis in studia sua incumbere vellet, fuisse praetextum.

80 Fr. Leo praeter alia scripsit de conclavibus pingendis ornandisque, de tintinnabulis electricis ubique instruendis, de difficultatibus ad instrumenta aquae caldaria spectantibus, de novo camino, qui destruendus atque alio loco denuo exstrenundus erat, et sic porro.

se.<sup>81</sup> Imprimis dolendum erat hōc in conexū Archiabbatem Norbertum monachos suos a barone tutatum non esse neque eos defendisse,<sup>82</sup> baroni omnibus in rebus annuisse et (P.re Aloisio excepto) tantummodo ei confisum esse. Verisimiliter Archiabbbati persuasum erat tantummodo fratres Stirling solos praedium Tragoessianum atque hunc in modum Archiabbatiam servare valere. Tamen ex toto commercio epistulari illius temporis apparet praeter Archiabbatem Norbertum atque P.rem Aloisium ab initio neminem fratribus Striling revera confisum esse.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 223, 2001, pp. 57-78]

---

81 Leo Jungblut (die 19 m. Nov. a. 1929 ad Notkerum Mannhart (ASO, A.4.2)) exempli gratiā scripsit haec: «*Sed Pater Archiabbas et P. Aloisius omnibus in rebus cedunt atque faciunt ea, quae baro habere vult.*» Vel cum ageretur de verbis immodestis impudentibus erga confratres saltuariosque: «*P. Aloisius tantummodo iuxta stat et si quid dicit, tunc solum dicit ‘omnino recte’.*» - Sententiae originaliter Theodiscae.

82 Cum baro incriminationes erga monachos Ottilianos proferret, Archiabbas speciatim ei credidit atque opprobria non probata aliis tradidit. Sic Martinus Malter (die 16 m. Nov. a. 1929 ad Notkerum Mannhart (ASO, A.4.2)) ex.gr. scripsit de gravibus incusationibus erga F.rem Franciscum Imhof et erga F.rem Cosmam Eckl. Priori praeterea displicuit querelas Fratrum non audiri. - De pessimo baronis modo se gerendi atque de sensibus atmosphaerāque in praedio Tragoessiano vigentibus cf'r ex.gr. etiam epistula Iusti Gämperli die 2 m. Dec. a. 1929 ad Fridolinum Zimmermann dirceta (ASO, A.4.2); epistula Iusti Gämperli die 23 m. Dec. a. 1929 ad Fridolinum Zimmermann data (ASO, A.4.2).